

Lauda, Jerusalem, Dominum: \* lauda Deum tuum, Sion.

Quoniam confortavit seras portarum tuarum, \* benedixit filis tuis in te.

Qui posuit fines tuos pacem: \* et adipe frumenti satiat te.

Qui emittit eloquium suum terræ; \* velociter currit sermo ejus.

Qui dat nivem sicut lanam; \* nebulam sicut cinerem spargit.

Mittit crystallum suam sicut buccellas: \* ante faciem frigoris ejus quis sustinebit?

Emittet verbum suum, et liquefaciet ea: \* flabit spiritus ejus, et fluent aquæ.

Qui annuntiat verbum suum Jacob: \* justicias et judicia sua Israel.

Non fecit taliter omni nationi: \* et judicia sua non manifestavit eis.

Gloria Patri, etc.

---

Magnificat \* anima mea Dominum,

Et exultavit spiritus meus \* in Deo salutari meo.

Quia respexit humilitatem ancillæ suæ \* ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.

Quia fecit mihi magna qui potens est, \* et sanctum nomen ejus.

Et misericordia ejus progenie in progenies \* timentibus eum.

Fecit potentiam in brachio suo: \* dispersit superbos mente cordis sui.